——————Ultio poſtquàm.
Mātuas *Sanguinolenta gravem Divum ſaturaverat iram.*

38 Hæc de littera textus, cuius principale thema: *Deus vindicans vindicabit.* Verſiones in eandem ſignificationem, eſtò ſonent in vocibus varietatem. Vatabl. *Vindex Salvator vindicabit petulantiam.* Syr. *Vindex omnium oppreſſorum.* Ar. Montan. *Vehementer vindicabit.* Maluend. *Ulciſcens ulciſcetur iniuriam.* Alap. *Acriter & maximè vindicabit.* Alij: *Vindicabit & vindicans.* Denique Heb. & Æthiop. *Ultione ulciſcetur, vindicabit.* Modò ad amores, ne vindex reddens retribuat, quæ quiſque peccat.

Verſiones

ADINATON EXEGETICUM.

Epilog. Excur.

1 DEus enim vindicans vindicabit. *Salvator vindex vindicabit petulantiam.* Mors ingreſſa per crimen, intulit homini gravem offenſam: petulantiamque dicit, quoniam in omnes homines mors pertranſijt; quaſi non eſſet in humana ſpecie, qui illam poſſet ſuperare. Deiecta eſt petulantia, atque mortis inſolentia in devicta humana forma: igitur vindexSalvator ipſa in morte vicit mortem,ubi ex ſepulchro ſe iudicavit victricem.

2. *Deus vindicans vindicabit.* Quia citò non profertur ſententia, filij hominum perpetrant mala: cæterùm Deus recordabitur, de quo pravus obliviſcitur: & quod pro tempore indulſit, vindicans rigorosè vindicabit; quippe crimina prætermiſit propter cordium pœnitudinem, haud propter impunitatem.

3. *Vindicans vindicabit.* Ideſt, iniuriam factam. Qui parcit, potiùs qui gratijs rependit; habet vindictæ nobiliorem formam: equidem quùm iniuria ſinè ultione prætermittitur, ultione acriore in cruciatus vindicatur.

4. *Deus vindicans vindicabit.* Deus? Utique. At quorsùm fulmen geminatur ultionis? Fuit ſanè iniuria hominis & Numinis. Numinis, quomodò? Iniuria ex ſerpentis dolo minimè directa Deo. Vaniſsimum cogitamen. Neſcivit draco, quantus amor Dei in hominem, quem vel lapſum nimis diligit: iniuriamque homini factam, Deus vindicans vindicabit; etenim Numinis amantis urens offenſio, quippequàm ex ſerpentis inſidijs offenſus homo.

5. *Vindicans vindicabit.* Ita qui iniurias placido corde non tulit;ſed in ultionem occaſionem invenit. Hoccine ſervilis animi, proiectique latens virus: aliter in dignitate præclarum nobile pectus; quod quidem vel dignū vindictà tranſit, neque dignitatem dedecore polluit: igitur in audaces non exercet poteſtatem; ultionis quantumvis invenerit occaſionem.

6. *Vindicans vindicabit.* Baſilius peccatorem à diabolo, quo utebatur ut mancipio; iniurià factà, quaſi non eſſet vindicta: Baſiliuſque ut retribueret iniuriæ retributionem (quam invexerat per crimen) chirographum (in quo per illum peccatoris iniuria) mirabiliter extorſit ac potenter à Satana; ſervumque ab iniuria vindicavit, quem ille callidè vicit.

DIDASCALIA PRIMA.

Trophæum Salvatoris mirabile, vita immortalis ex morte.

1 PRæclara tanti myſterij inſignia, pro Redemptoris & redemptorum gloria; ingeniosè brevique delicavit Fulgentius. *Si mori nollet, nullatenùs naſceretur. Eum faciet mori* (inquit ſerm. de *Epiphan.*) *benignitas propria, non malignitas aliena. Morietur, non ut perdat brevem vitam; ſed ut conferat ſempiternam. Morietur non ut ſervus iniquitatis; ſed ut Dominus maieſtatis. Morietur non vinculo neceſsitatis; ſed propoſito voluntatis. Morietur mirabiliter, morietur ſingulariter, morietur miſericorditer, ut reſurgens cunctis gentibus donetur.* Pende. *Miſericorditer, ſingulariter, mirabiliter.* Miſericorditer, quippe hominem liberavit à tyrrannide. Singulariter,quoniam poterat non mori. Mirabiliter, igitur placuit reſurgere; ut humana conditio cumulo donorum ac chariſmatum, in ſe per illum obtineret plenum gaudium: equidem uti homo ſimilis nobis apparuit; ut homo vitam haberet, & abundantiùs haberet. Iam enim inter mortales *confitebitur tibi pulvis, & annunciabit*

Fulgent

Surgit Chriſtus à ſepulchro, ut ſurgat homo,

Pſal 29 10.

bit veritatem tuam: igitur pulveri per gloriam communicatam, cognoſcitur è ſepulchro habuiſſe gloriam. Ni gloriosè è tumulo ſurrexiſſet, homo in pulvere iaceret. Mortuis facit mirabilia: & videtur in ſepulchro inſignis miſericordia; dum cognoſcitur in tenebris,vel ex morte quàm mirabilis: quandoquidem per Salvatorem adipiſcuntur glorioſe immortalitatem, vel qui redacti uſque in pulverem. Pridem (ut aliò accinit Manil. 5. *Aſtron.* à 575.) lamentabilis conditio humana, ſed Chriſti victorià, iam circundata lætitià.

Aura per extremas reſonabat flebile rupes,
Iſque ubi pendentem vidit de rupe puellam,
Et poſtquam pœnæ cauſam cognovit ab illa,
Deſtinat in thalamos,Gorgō non territus ire Manil.
Feliceſque vocat teneant quæ mēbra catenas.
Tandem Gorgonei victorem Perſea monſtri,
Felix illa dies redeuntem ad littora duxit.

2 Qui mortuus eſt ſingulariter, reſurrexit mirabiliter. Sed unde? Suſcitavit è tumulo Virgo-Mater. Quid? Inter homines Chriſti humanitas regina erat: etiam Virgo regina. Quid mirum, ſi ab illa erga filium mortuum florum corona?

Voce Matris-Virginis revocatus, veſte nova & floribus redimitus.

——*Solitam conſurgere gemmis,*
Aut rubro radiare mari, ſi floribus ornes
Reginæ regina comam: ſi floribus illis,
Quos neque frigoribus Boreas, nec Syrius urit
Æſtibus, æterno ſed veris honore rubentes. Claudia

Subit mentem, quod in conflictu Germanico Cæſari feliciſsimum omen. *Nox eadem* (inquit Tacitus, 2. *Annal.* cap. 14.) *lęt in Germanico quietem tulit, viditque ſe opertum, & ſanguine ſacro reſperſa prætexta; pulchrioremque aliam manibus Auguſtæ accepiſſe. Cæſi hoſtes, repertis inter ſpolia eorum catenis, quas ut non dubio eventu portaverant::: impoſuitque in modum tropæorum arma.* Iam ergo Domine ſcitur, quare rubrum eſt veſtimentum tuum: & quare in maieſtate throni, *veſtitus veſte, aſperſa ſanguine*: igitur cùm certares cum morte, poteſtateque inferni, qui catenas attulerunt in conflictu, ſibi non dubio eventu, videntes corpus, à planta pedis uſque ad verticem vulnus (prætextam aptatam à Matre, cùm unitus fuiſſes homini) trophæum erexiſti, hoſtes ſubiugaſti, catenas fregiſti, accepta manibus Auguſtę à Deitate pretioſiore veſte. Eadem ſane, quam acceperas, ſed alia claritas, ut rutilaret pretioſitas: etenim quæ tota conſperſa ſanguine; apparuit è ſepulchro, immortalitatis ſplendore.

Com. Tacit.

Apocal. 19. 13.

Trophæū Chriſti ex morte.

3 Videtur iam verum, à Priſcis Ethnicis fictum. Hippolytus (ab illis creditus filius Numinis ſub ſpecie hominis) impoſturis novercæ,undecumque malignæ, propter excellentiam virtutis diſcerptus ab equis; ſed in vitam revocatus, Deitate à cunctis cognità, ſingulari prodigio, & Dianæ Virginis curà: qua non ſolùm è ſepulchro ſurrexit ſine vulnere, ſed Deus cognitus in homine, & elevatus in cœlum manibus tenens anguem, in triumphi de morte ſpecimen.

Fabula de Hippolito.

Surgit homo iuvenis, ſtellis afflatus avitis,
Et gemino nexas porrigit angue manus.
Namque pio iuveni vitā ſine vulnere reddā, Ovid.
Et cedent arti triſtia fata meæ.
Reddideratque animam, morte indignante Diana.

Ita Ovid. 6. *Faſtor.* à v. 719. Hygin. *fab.* 47. & 251. Natal. Com. 2. *Mythol.* cap. 8. & 7. cap. 9. Accinit etiam Virgil. 7. *Æneid.* à v. 764.

——*Placabilis ara Dianæ:*
Namque ferunt famâ, Hyppolitum poſtquam arte novercæ
Occiderit, patriaſque explevit ſanguine pœnas, Virgil.
Turbatis diſtractus equis, ad ſidera rurſus
Ætheria, & ſuperas cœli veniſſe ſub auras,
Amore Dianæ.

Taceat ergo ſuperata vetuſtas. Pater filium Deum in ſimilitudinem hominum de cœlò miſit, & pro nobis non pepercit, ſed tradidit morti arte Synagogæ novercæ. Unde in cruce per lethales undique plagas, patrias explevit ſanguine pœnas;noverca tunc eum ignorante Numen, & crucifigente hominem, quo in articulo cognoſcendus homo-Deus: qua de cauſa illi dixit: *Cum exaltaveritis filium hominis; tunc cognoſcetis quia ego ſum.* Mortuus eſt, & conditus ſepulturà, morte indignante Matre-Virgine, purà Dianà: cuius amore, ad ſuperas cœli venit gloriosè ſub auras, mortis ita illuſtrans tenebras; ut ſine vulneribus in victoriæ inſignia clara, vulnerum pretioſa remanerent veſtigia: igitur ſignum mirabile, vita immortalis ex morte; ſubigens anguem, qui intulerat crimen,quoniam glorioſa immortalitate corporis, ſurrexit homo Deus ſtellis afflatus avitis. Appoſitè vel Ethnicus, 2. *Thebayd.* à v. 55.

Ioann. 8. 28.

Triumphus Chriſti reſurgentis.

Hac & tunc fuſcà volucer Deus obſitus umbra
Exilit ad ſuperos: infernaque nubila vultu
Diſcutit, & vivis afflatibus ora ſerenat. Statius.
Inferior volat umbra Deo, & aſſurgit honori
Numinis, ac recto decedit limite cœli.

4 Exprimitur Tautologiæ teſtimonio, quid cogitatum in huiuſmodi triumpho. *Deus enim vindicans vindicabit.* Vatabl. *Vin-*

Eccli. 5. 3.

Mors in ipſa victoria victa.

Vindex Salvator vindicabit petulantiam. Mors ingreſſa per crimen, intulit homini gravem offenſam: petulantiamque dicit; quia in omnes homines mors pertranſijt, quaſi non eſſet in humana ſpecie, qui illam poſſet ſuperare. Deiecta eſt petulantia, atque mortis inſolentia in devicta humana forma: igitur vindex Salvator ipſa in morte vicit mortem; ubi in ſepulchro ſe iudicavit victricem. Arator, 1. *Act.* v. 118.

Arator.

Infernũ Dominus cũ deſtructurus adiret,
Detulit inde ſuam ſpoliato funere carnem.

Fàbula Herculis.

Videtut inter fabulas noſtra felicitas. Cùm ſponſo Hercule procedebat felix Deianira, à Neſſo in tranſitu capta, cui tradidit ille ficto amore venenum; ut illa poſſet conciliare virum: arbitrans vafrè, ſemel Hercule mortuo, ſub eius Sponſa ſemper futura dominio. Filius Iovis immortalis cenſebatur Hercules, qui illam deviaverat, quippe ad inimicum fugerat. Deianira ſub hoſtis tyrannide patiens, ſuſpirabat uſquequaquè ad vires Herculis. Unde ut reducere valeret in priſcam amicitiam & gratiam; quaſi obſequio miſit imbutam toxico tunicam. Ille accepit, ſed exarſit: igne enim ſacro correptus, in pyra flagranter mortuus; quo reſurgente morte victà, illa in gratiam eſt recepta: quippe ut inquit Natalis à Comitibus d. 7. *cap.* 1. *Quidquid mortale fuit, & humanam labem in ea pyra concrematam: quod erat divinum, in cœlum aſcendiſſe.*

Natal. Comit.

Quapropter ſuccinit:

Cerberus eductus, hunc ſed Olympus habet.

5 Siccine vetuſtas inſerit neſciens, curioſitate ficta, ſed figmentis non damnoſa; ut ait Alcim. Avit. *lib.* 5. v. 152. Condita eſt in paradiſo rationali natura, varijs gratijs ornata, atque habita in delicijs, uti ſponſa: quam ut centaurus diabolus lividè vidit; poculo aurato ſupplantatione ex vanitate ſubtraxit, minuens falſo iudicio ſine fine cordolium; quaſi in prævaricatrice poſſet invenire ſolatium: ſimulque premens quam doloſè ceperat; quippe in Sponſum prævalere nequibat: cæterùm excogitans ipſum etiam ſub ditione comprehendere; ſi ſponſæ captivæ tunicam placeret indui: igitur comprehenderet, ſi videret hominem; qui dedititij totius generis obtinuerat tyrannicam ſervitute poteſtatem. Sponſa ſciebat, minimè liberatum iri poſſe, nec in gratiam felicem reconciliari; ni Sponſus eius, Dei filius, tunicam humanitatis vellet admittere. Miſit, in amicitiæ reintegritatem, quam habuit. Sponſus, videns miſeram, admiſit, ſervilemque formam, obumbratà ſuæ maieſtatis dignitate, ſuſcepit. Tunicam mortalitatis induit. Statim igne ſacro flagravit, quo vulnera lethalia accepit, mortemque in cruce ſubivit, virulento hoſte geſtiente, corpore ſaucio viſo intra tenebras ſepulchri. Verùm obſtupuit, ubi maieſtas apparuit, quam tunicà humanitatis occuluit; devictà morte, voluntariè ſuſceptà, reſtauratà Sponſa, humanà naturà, atque reſtitutà gratià; dum immortalis ſurrexit è ſepulchro, qui habitu inventus ut homo. Labes humana conſumpta in amoris pyra. Surſùm elevatum, quod divinum: equidem quod viſum defeciſſe præ doloribus in cruce; fuit duntaxàt, quod mortale. Utamur verbis Herculis ad matrem poſt donatam à Iove reſurrectionem; apud Tragœd. in *OEtæo*, à v. 1960.

Ars in triũphũ, ut caderet hoſtis, & homo reſtitueretur in ſtatum libertatis.

Non me rigentis ſtagna Còcyti tenent.
Iam parce mater queſtibus. Manes ſemel
Umbraſque vidi. Quidquid in nobis tui
Mortale fuerat; ignis iniectus tulit.
Paterna cœlo pars data eſt, flammis tua.
Virtus in aſtra tendit.
Me iam decet ſubire cœleſtem plagam:
Inferna vinco, in aſtra feror.

Senec.

6 Haud Chriſtum fata tenuerunt poſt funera. Viſum in tumulo cadaver, ſed ille factus inter mortuos liber: etenim ſurrexit modo excellentiore, quàm comminiſcitur Scena fallax de Alcide. Ovidius, 9. *Metamorph.* fab. 4. ſuccinit:

——Nec cognoſcenda remanſit
Herculis effigies: nec quicquam ab imagine ductum
Matris habet, tantùmque Iovis veſtigia ſervat.
Sic ubi mortales Tirynthius exuit artus,
Parte ſui meliore videt, maiorque videri
Cœpit, & auguſtà fieri maieſtate verendus.

Ovid.

Hercules non vicit mortem, quippe corpus redactus flammis in pulverem. Chriſtus *Dominus ſurrexit verè*, ex morte calcatà morte. Videt mundus

——Invictum devicta morte.

Eodem in corpore vivus è funere.

Luc. 24. 34.

Habet matris effigiem, in qua & à qua ſumpſit hominis imaginem: igitur reſurgens, corpore ſplendet glorioſo, quod pro Sponſæ redemptione ſaucium iacuit in ſepulchro. Lactant. de *Phœnice*, à v. 229. modulatur:

Manil. d. 4. v. 187.

Nec noſtro tantùm voluiſti è corpore naſci;
Sed caro quæ naſci pertulit, atque mori,
Funeris exequias patitur: novus auctor & orbis
Intra mortis iter præbet ſalutis opem.
Solvit catenatas inferni carceris umbras,
Et revocat ſurſum quicquid ad ima ruit.

Lactant Firm.

Siccine *abſorpta eſt mors in victoria*, dũ de

1. Cor. 15. 54.

ſe

Poſtrà victri e morte.

ſe vidit vità novà tromphæa: igitur corpus horruit ex paſsione impaſsibile, ex ſepulchro vitale, ex vulneribus glorioſum, ex tenebris ſplendidum, atque de terra cœleſte, ex ipſa morte immortale. Souſa de *Chriſt. reſurrect.* à v. 578.

—————— Excedit gratia ſenſus
Corporis atque animi, divinà dote beati.
Fœdarant autem ſacrũ quæ vulnera plagis,
Surgenti ſpetioſa nitent, pulcherrima viſu.

Mell. Souſ.

In ſepulchris cur catenæ?

7 Olim quin Priſci penetrarent cauſas, cum cadaveribus in ſepulchris collocabant catenas. Ita cum alijs inſignijs inventa cadavera Iamnis & Mambris (de quibus Apoſtolus, 2. *Tim.* 3. 8. Paladius in *Lauſiac.* lection. 27. & Maluend. 1. de *Anti-Chriſt.* cap. 16.) apud Torrem, in *Cauſsin.* 1. Symbol. 9. Hieroglyphicum obijcitur triumphi Salvatoris de morte, quæ mortuos collocarat catenatos in ſepulchrorum carcere; quaſi numquàm habituros halitus reſtitutionem, quos redegerat in pulverem, ingerens irreparabile vulnus, ut dormirent in ſepulchris, quorum non eſt memor amplius: catenæque iunguntur cadaveribus hominum tumulatis; ut virtus clareat Ieſu-Chriſti ad vitam immortalem reſurgentis, per quem hominum corpora incorruptione donanda; ut imperpetuum vivant, quæ ſub mortis catenis corruptibilia iacuerant. Per illam, interveniente paſsione, à Chriſto ſubducta vita: morſque victrix attonita abſorptaque eſt in victoria; quippequàm ut è tumulo ſurrexit, portas æreas victricis mortis contrivit, & vectes ferreos confregit, educens vinctos in fortitudine virtutis ſingularis, & ſimiliter eos qui habitabant in ſepulchris: etenim cùm trophæum cogitaſſet ſingulare, nimirùm, vitàm glorioſam atque immortalem ex morte; in ſignum de illa mirabiliter triumphantis, mortem poſuit in catenis. Dicam ex Seneca *Epiſt.* 24. *Imperator benè ſe habet. Multum fuit Carthaginem vincere; ſed ampliùs mortem.* Ex mundo ſuperato victoriæ claret maieſtas; verùm ampliùs, quòd *Princeps huius mundi eiectus ſit foras.*

A Chriſto catenata mors.

Senec.

8 *Conſurrexiſtis cum Chriſto* dicit Paulus. Ne hominem cadavera à morte catenata erant in Salvatoris ſepultura? Utique. *Conſepulti ſumus cum illo in mortem; ut quomodò Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos.* Claret, quippe Chriſto reſurgente, homo de morte reſurgit. Hinc epigraphe Heliotropij: *Cum Sole reſurgam*; apud Picinell. 11. *Mund. Symbol.* n. 78. etenim folia corporum caduca ſinè illius ſplendore retracta, & collocata in obſcuris; otro Sole, reſurgent cum flore immortalitatis. Iccircò Chriſti ſepulchrum in horto, ut homines tamquàm flores reſurgerent è ſepulchro. Vide dicta *Tom.* 1. *T.* 5. *D.* 17. Per gloriam è funere ſurrexit Chriſtus Ieſus. Verùm ut quid, *Ita, & nos*? Ut in eo mirabilem demiremur victoriam, qui mirificè translatus de morte ad vitam: equidem ſi digna admirationis vita immortalis; magis profectò admirabile, quòd floreret in ſepulchro immortalitas ex morte. Chriſtus reſurrexit ſic. *Ita, & nos*: quandoquidem per illum è ſepulchro triumphantem, vel poſt mortem victricem vicimus mortem. Hinc ſubdit Paulus: *In novitate vitæ.* Sanè mirabilis vitæ novitas, ubi ex ipſa morte immortalitas, gloria æterna ex ignominia; quia abſorpta eſt mors in victoria, dum ſe vidit in catenis quibus devinciebat homines. In tumulo conſepulti fuimus cum illo. Verùm quomodò? Ingenio eiuſdem charitatis & gratiæ, ut in nobis luceret novitas vitæ.

Coloſſ. 3. 1.

Rom. 6. 4.

Picinel.

Quo triũpho, mirabiliter revixit homo.

Ibid.

9 Solicitus Ioſeph de Chriſti corporis ſepultura: *poſuit illud in monumento ſuo novo, quod exciderat in petra.* Suo; Quomodò? Sepulchrum dicitur alicuius, quò eius iacet mortuum corpus. Unde in demonſtratione huiuſmodi charitatis, erit quod ſepulti, monumentum ſepelientis? Apte, *monumento ſuo novo*; quoniam videnda novitas ſingularis in monumento. E ſepulchro omnes reſurgenti, qui ibi ex mortis vulnere iacent: diciturque Ioſephi, ſepulchrum Chriſti: quippe in vitam ſurrecturus, Chriſti glorioſà reſurrectione. Suum vocat, quod Chriſti cadaveri ſignat: igitur ſi Chriſtus ibi reſurrexit glorioſè, ita & ille; quoniam ut ſimul videretur cadaver in gloriæ ſtatu, conſepultus fuit cum Chriſto: exillius enim reſurgentis è tumulo gloria; è ſepulchro exultabunt oſſa humiliata. Præterea. In ſepulchro illo necdùm quiſque poſitus fuerat. Ioſephi dici nequibat, quippe vità tunc feliciter fruebatur: & ad novitatem, quod mortui, viventis ſepulchrum dicitur; in fidem reſurrectionis, per Chriſti triumphum è ſepulchro reſurgentis; quo Ioſephi mortuum corpus adepturum incorruptibilem gloriam, ſicut modò habebat vitam. Ubi ſuum vivens Ioſephus Chriſti deſignat ſepulchrum; totius generis humani demonſtrat emolumentum: igitur cùm ſurrexiſſet nobis pignore immortalitatis; corpori gloriam aſſumpſit, ut nobis mortuis reſurgendo conferret.

Matth. 27. 60.

Cur quòd Chriſti ſepulchrum, dicitur hominis?

Tartara preſſa iacent,
Nos nova vita tenet,

Lactant

Nox

Pſalm. 158.

10 *Nox ſicut dies illuminabitur*: dicitur à Regio vate, pro ſolemnitate articuli; unde vox exultationis & virtutis, quia Deus Dominus & illuxist nobi'. Nox erat, & dies ſignatur; quippe mors à reſurgente vincitur, ſingulari triumpho lucis: & ſimul illuxit nobis, quoniam è ſepulchro hauriente immortalitatem, per ipſum nos mortales vicimus mortem: etenim conditio humana ſimiliter incorruptione fulgebit; quia Chriſtus Dominus etiam nobis illuxit. Splendent in nocte rutilo fulgore ſtellæ; verùm fulgor non à ſtellis ſed à Sole. Si mors, nox per tenebras propriè dicitur: nox Chriſti reſurrectione ſicut dies illuminatur: equidem homines luce Solis reſurrectione fulgentis; vel intra tenebras mortis, in perpetuas uti ſtellæ fulgebunt æternitates. Pende. Corpus ſanè corruptibile, & obnoxium morti; qua ut in pulverem mutetur, in obſcuris collocatur. Non fulgeret, ni Sol ſtellis etiam in nocte fulſiſſet: modòque ſplender in perpetuas æternitates, quippe mortuum immortale ex reſurrectione Solis. Subditur: *Sicut tenebræ eius ita & lumen eius.* Sicut in homine tenebræ; ut expellerentur, lumen ita conceſſum à Salvatore. Tenebræ hominum (quia non ſolùm tenebræ, ſed tenebræ tenebrarum) erant mors animæ delinquentis, & ex illa etiam corruptio corporis. En conditionis lapſæ totum virus: & ſicut tenebræ ita & lumen eius; quippequàm reſurrectione Chriſti, & anima liberatur à morte, & corpus à contracta per crimen mortalitate.

Gloria ex tius reſurrectione, cu mone co munica, ta natura.

Ibid.

11 Sepulto Domino, in die reſurrectionis piæ fœminæ acceſſerunt ſepulchro. *Manè, cùm adhuc tenebræ eſſent*: ait Ioannes 20. 1. Marcus verò: *Valdè mane veniunt ad monumentum, orto iam Sole.* Quoad literam expoſui alibi, maximè *Tom.* 7. *T.* 8. n. 39. & 101. Videſis: tropologicè, ſeu potiùs, allegoricè, modò. Quomodò valdè manè, ita ut eſſent tenebræ, orto iam Sole? *Iuxta hiſtoriam* (ait Gregor. Magn. Homil. 22. in *Evang.*) *notatur hora: iuxta intellectum verò myſticum, requirentis ſignatuo intelligentia.* Intelligentià requirentis iacentem in ſepulchro, erat quantis tenebris oppreſſa humana conditio, per tranſgreſsionem primævant, tam quoad corpus, quàm quoad animam: igitur hæc mancipata tenebris culpæ, & illud mortis obæratum corruptioni. Hæ tenebræ humani generis erant: & cùm tenebræ eſſent, iam non tenebræ, orto Sole; quoniam reſurgente Chriſto, ita per dona immutatus eſt homo; ut anima ex culpæ tenebris felix ſurgeret in gratiam, & corpus ex umbris tumuli uſque in immortalem gloriam. Sic lumen eius, ſicut habuit tenebras; ut reſurgentis Solis refulſit claritas: equidem ſi per huiuſmodi tenebras ſtatus hominis nox confecta; nox reſurrectione Chriſti uti dies illuminata: nequeunt enim eſſe tenebræ, orto iam Sole: quandoquidem ſi in illo ſurgimus, & illuxit nobis; vel corpora in perpetuas fulgebunt æternitates. De corporum ergo gloria, dicemus ex profeſſo, *Tautolog.* 4. *D.* 1. & 2.

Mart. 16. 2.

Greg. Magn.

Quæ gratia & gloria homine ex reſurrectione Chriſti.

12 Eduxit Dominus filios Iſraëlis ex fornace ferrea tyrannidis Pharaonis: in typum libertatis humanæ (ſummerſis morte atque dœmone) reſtauratæ à Salvatore.

——Noſtri illa figura eſt;
Cùm Pharao infernus ſacris ſummerſus in undis,
Ingemuit è tanto miſeros diſcrimine lapſos.
Nos verò Chriſti ſolemnẽ in morte trumphũ Agimus.

Alcim. Avit.

Canit Alcim. Avit. *lib.* 5. à v. 733. Solemnitas quidem meritò ſingulari beneficio. *Nox iſta eſt* (iurè dicitur) *obſervabilis Domini. Hanc obſervare debent omnes filij Iſrael.* Unde Dominus: *Habebitis hunc diem in monimentum, & celebrabitis eam ſolemnem Domino.* Hanc ſingularem noctem habebunt diem? Nox agnoſcitur tenebris, atque dies preſuntià Solis. Quo pacto, ubi Chriſtus reſurgens, hominemque à ſervitute redimens, inimicum ſuffocans, mortem ludificans; erat nox, & ſimul die ſolemniſsimi lux? Ut notarentur quæ in natura humana tenebræ; priuſquàm reſurgeret in plenam libertatem è tumulo clarus Sol: & iuxta tenebrarum obſcuritatem, tribueret lumen; noxque illuminaretur, ſicut dies illuminatur. Tenebræ, quæ in homine conficiebant noctem tyrannidis, erant ſervitus animæ & corporis: animæ, morti per crimen; carnis, propter corruptionem: & quæ nox ex tenebris, dicitur dies, dum Chriſtus reſurrectione in libertatem plenam liberat homines; quippequàm orto Sole, diffugium tenebræ; redit lux, clareſcit nox, liberatà animà per gratiam à tenebris criminis, atque corpore per gloriam vel in ſepulchro ab obſcuritate corruptionis. Vitam & felicem homo conditæs habuit: per crimen amiſit: anima, per abſentiam gratiæ: corpus, in pulverem addictione. Poſuit tenebras, & facta eſt nox: miſit crimen tenebras & utrumque obſcuravit, tumuliſque diverſis ſepelivit: verùm cùm Deum offenſum haberet miſericordem; rurſùs poſt tenebras ſperabat lucem;

Exod. 12. 42.

Verſ. 14

Quænã in conditione hominis, nox & dies?

Chriſti reſurgentis claritas animæ & corporis hominis illuminavit tenebras.

ut per beneficum Salvatoris adventum, in priſtinum felicem reſtitueretur ſtatum. Nox præceſsit, dies autem appropinquavit: etenim dona mirabilia per Chriſti reſurrectionem, noctem verterunt in diem. Paulin. *Natal.* 9. v. 59. ſuccinit:

Paulin.

Totus ubique pari famulatu mundus adorat,
Æternum celebrans redivivo corpore Regẽ.
Hoc ſolemne dies ſequitur.

DIDASCALIA II.

Deus non irridetur.

1 HAud alia de cauſa, ut videor mihi videre, florent vitia; niſi quia homines, ſi homines, vitijs florent. Unde Seneca *Ad Alb. n.* cap. 9. inquit: *Hunc* (C. Caligulam) *benè mihi videtur, rerum naturam edidiſſe; ut oſtenderet, quòd ſumma vitia in ſummam fortunam poſſent.* Quapropter cùm ad Reipublicæ munia, ſint merita vitia (ut canit Plutarch. in *Alexand. Magn.*) eximijs meritis,

Senec.

Cur florent vitia?

Plutarc.

Peſsimus ad ſummos etiam aſcendit honores.
Nec nos credidimus, fuerit tamen omnibus unum
Crimen.

Claud.

Accinit Claudian. 2. de *Laudib. Stilic.* v. 311. Patet cognitione, non fide; etenim quò poſſunt, cupiunt proſperari: obviatque ad votum proſperitas; ſi cordi in plauſum arridet comes iniquitas. Habet pravitas honorem, ubi alter (ut inquit Tertull. 3. *Adverſ. Marcion.* v. 118.)

Tertull.

Pro ſcelere obtinuit famã, pro crimine laudẽ.

Iniqua laudatur & benedicitur.

Ad ſimilitudinem aptatur nocentis frons. Homo vanitati ſimilis factus eſt: cumque pudet non florere, vel ſi glorietur pudore.

Cùm vitia proſſunt, errat qui rectè facit.

P. Syr. n. 162.

2 Phraſes ſingulares, tractà leprà, leguntur in Scriptura. *Homo* (dicitur) *in cuius cute & carne ortus fuerit diverſus color, aut quaſi lucens quippiam, ideſt, plaga lepræ* ::: *Sin autem lucens candor erit in cute.* V. 4. *Sin autem effloruerit diſcurrens lepra*, &c. Lepra & lucens? Huiuſmodi ſplendor, profectò dolor: ſed infatuati vagantur, ex his quæ vident: quandoquidem faſcinati turgidè ſplendent, de quo alij tamquàm maculati turpitudine dolent. *Lucens lepra.* Qui ſic malè affectus (uti peſtis, ne noceret) debuit ſeparari ab omnibus: at cùm demerita ſin gradus ad honores, lucens apponitur peſtis; quippe ni per flagitia afficiatur plaga lepræ, pravo in ſæculo videtur vivire ſine ſplendore. Vulgò: *Lo que ſirve de lunar, ſe tomã por medio eficiaz para lucir.* Cùm alijs ſolicitudo ingruat felicitatis, ſtudent lepræ contagioſæ meritis: equidem titillat plauſus, & allicit dedecus; quippe vano, labili fulgore infatuata mens, cogitat dumtaxàt quòd ſcelerati ſplendent, verum non quo. Leprà florent, leprà fulgent: & in æmulationem placidè ſequuntur crimina; quin cogitent, quòd ſi florent, florent leprà: qua miſeri maculis in ſcandalum nitent; quippequàm ni maculati, in ſæculo non florerent: dedecuſque in propudium contraheret effrons petulanter vultus; ni in gloriam atque faſtum haberet dedecus. De Alexandro Mammeæ, dixit in *Heliogabalo*, Ælius Lamprid. *Optimus iuvenis, poſteà comprobatus genere, imperij eius: cùm ideò diſpliceret patri, quòd impudicus & diſſolutus non eſſet.* Scelerato diſplicebat bonus, quaſi ſic nequiret indipiſci Magiſtratus, nec lucere macula, nec florere leprà; quia ad fortunæ munia degener, nequaquàm habens venenum, qui genimen viperarum. Aptè, quod refert Tacit. 1. *Hiſtor.* cap. 87. de Licinio Proculo: *Faſtu pravus & callidus bonos & modeſtos anteibat.* Effulſit leprà. Siccine ſæculi ſchola: equidem in eius ſtudijs gnoma,

Lev. 13. 2.

V. 12.

Florent abominandi.

Laudem mereri culpa.

Malè audit, qui rectè vivit.

Lamprid.

Tacit.

3 Haud ſine propoſito in textu ſacro dicitur: Si ortus *diverſus color* & *lucens candor.* Innuitur quomodò aſtus diſponat, ut vitia habeantur, & ſplendore excuſentur, in paludatis eſt gloria, quod in privatis ſugillantur uti vitia. *Vitium impotens virtus vocatur*: inſit Senec. in *Hercul. Oetæo*, v. 421. *Beatam iniuſtitiam, honorificam tyrannidem*: Euripid. in *Phœniſſ.* v. 552. Illo in ſtatu turpia decipiunt, & delectant: & ne faſtidiant (ut ſignat Horat. 1. *Satyr.* 3. v. 42.)

Errori nomen virtus imponit honeſtum.

Lepra eſt, ſed cum minimè honor demonſtret ſpeciem; in gloriam oſtentabundi extollunt quæ flagitia, tamquàm virtutem. Lex illis altera, qua decorantur in commendationem crimina: plauduntùrque per inclytam dignitatem; quippequàm lepra folio mutavit colorem. Diverſus color debet apponi vitijs, modò maculati emineant dignitate fulgentes. Quod in alijs peſtifer, in Hercule dicendus Morbus ſacer. Quid ſanè execrandum uti ſerpentis venenum; ſed habet, quamvis diſcerpatur, folium: & quod quidem execrabile, habendum eſt ut cœleſte. In alijs lepra, in Hercule gloria: equidem haud uti magni æſtimantur, niſi & vitia plauderentur. Claudicat Philippus: nec eſt morbus, nec defectus, quamvis ex

Ovid. Epiſt. 4. v. 145.

Vitia beatificantur.

Senec.

Eurip.

Horat.

In honoribus vitia mutant colorem.

vulnere acumine teli : ut poſsint pervenire in plagæ laudem , & oſtentationis celſitudinem,æmulari debent in geſtu vel ſani claudicationem. *Candicans macula* : ait Plin. 8. *cap*. 46. de Api Ægyptiorum Numine. In macula candor ? In vitio pellis ſplendor? En ſæculi corruptionem : maculatum inepti venerantur ut Numen, Ovid. d.v.30. ſuccinit:

Quod execrabile, extollitur ut cœleſte. Plin.

Candor ab inſolita labe notandus erat
Et benè ſucceſsit. Ovid.

Proprietas lucis eſt , ſplendore ſine pondere & menſura. Haud diſsimilis peccatorum forma , in operationem tetertima macula: lucent ſine menſura legum , ſine pondere ſplendent venerabilium virtutum. Alius color imponendus lepræ , ne terreat nomine. *Lucens candor* debet dici , ut colore poſsit fallere , atque graſſari peſtem : equidem ſæculum amittens mentem , lepram execrandam , abominabilem ; nequaquàm ſignat maculam , ſed ſplendentem candorem.

Verſ. 2. 4 In ampliorem lepræ expreſsionem, exponitur *In cute & carne*. Virus lepræ ex internis prodit in cutem. Ut virus foris tamquàm candor oſtendatur , internè habetur. Hi ſunt , qui vitia ſimulant ; ut quaſi candore morum , ex lepra ſubdolè dignitatem habeant. Indolem dies promit : maculatamque carnem & cutem textus ſacer meditanter exprimit ; quippe in honore , cùm intùs nutriant venenum , tunc prodit quaſi ex adipe iniquiats eorum. Hæc lepræ plaga. Putrida ſanè ſunt viſcera : etſi color mutetur, eſt lepræ ſpecies & facies: etſi oſtendatur candor, eſt virulenta peſtis:quæ quidem minimè ſpuitur , quippe certatim in hoc mundo muneratur.

Deſervit gloriæ, de quo frons debet pudere.

Scelera regnant , ſævit impietas furens,
Luxuria victrix orbis immenſas opes
Iam pridē avaris manibus,ut perdat,rapit.
Pertinax furor armat miniſtros.
Sen.Oct. à v.425

Iſ.53.6. *Unuſquiſque neſcit , quid liceat ſibi.*
Unuſquiſque in viam ſuam declinavit. Horat.d.2. Satyr.3. v.174.etiam ſugillat , ſubdens: *Væſania diſcors*. Alij ſiniſtrorsùm,alij deorsùm , alij retrorsùm , & alij aliorsùm cæſpitantes procedunt, vel potiùs corruunt in prava ; ſed huic & illi mali vulneris una via. Unde Plautus in *Trinum.* Act. 4. Scen. 3.à v.28.accinit:

Ad Reipublica munia, merita vitia.

Mores leges in ſuam perduxerunt poteſtatē.
Petere honores pro flagitio, more fit.
Strenuos præterire, more fit.
Licet, quòd lubet.
Plaut.

Igitur illis videtur(ut refert Stoicus,4. *Beneſic*. cap. 27.) *malum ac ſtultum, nullo vitio vacare* : maximè ſi ignominiæ dedecus, colitur virtus : equidem ſine metu, ſine pudore culpa audacter cumulatur,dum flagitia non flagitia , ſed merita , tamquàm virtutes creduntur.Haud ſecùs ſæculi embolia.
Senec.

Fallit enim vitium ſpecie virtutis & umbrà. Iuvenal. 14. v. 110.

5 Hinc ut ait *lib*. 2. *Epiſt*. ult. Plinius: *Non minora præmia , imò maiora , nequitia & improbitas,quàm pudor & virtus habent.* Claudian.2.in *Eutrop*. v.211.
Plin.

Nullus metus pœnæ.Pridem mos ille vigebat,
Ut meritos colorent,impacatiſque rebelles
Urgerent odijs : at nunc qui fœdera rumpit,
Ditatur : qui ſervat,eget.
Claud.

Querimonia eſt *Habacuc*, 1. à 2. *Zachar*. 2. 17. & Ieremiæ dicentis : *Quare via impiorum proſperatur* ? Erectus eſt inimicus. *Qui oderunt te , extulerunt caput*. Pſalm. 82. 3. Quosùm hæc & ſiccine Domine , qui Deus ultionum ? Ne tolerabile, ait Achill. Bocch. *Symbol*.124.
Ier. 12. 1.

Videre deprimi paſsim bonos,
Contrà cynædos , aleones,deſides,
Scurras, voraces , temulentos,perditos,
Fictos amicos, factioſus, invidos
Hoſtes domeſticos, malignos, perfidos,
Ac proditores, peſsimorum peſsimos,
Sicarios, adulteros, beneficos,
Falſarios, leviſsimoſque transfugas,
Et id genus homines malos, tantummodò
Amari,& uſque ad aſtra tolli?
Achil. Bocch.

Ita qui præditi fide. Quid clamabunt , & exclamabunt , ſine eius lumine , Ethnici, prorsùm profani ; obſequentes fortunæ, cogitantes hæc omnia ab illa , non arte regi ? Plura congeſsi in *Liter. expoſition*. à n.5. & *Tom*. 2. *T*. 1. *à n*. 4. Adiſis Delr. in *Senec. Hippolyt*. à v.969. Quapropter blaſphemè Ovid.9. *Metam*.fab.3. dum ardebat Hercules , accinit:

Dum prava vitas iuvat, virtus exulat.

Ignis edax imis perque omnes paſsitur artus;
At valet Euriſtheus : & ſunt qui credere poſsint,
Eſſe Deos ?
Ovid.

Sic Lucan.4. *Pharſal*. v. 253. deſpecto pretio virtutis , ait : *Iuvat eſſe nocentes*.Falluntur. Vias Numinis non cognoſcunt. Neceſſe , quòd errent ; noluerunt intelligere , ut benè agerent. Neſciunt bonum. *Bonum tunc habebis tuum*(infit Stoicus,*Epiſt*.124.) *cùm intelliges infeliſsimos eſſe felices*. Ideo vel inter illos picta Fortuna Bona cum poculo vino pleno in dextra , alterà manu tenente papavera. Natal. Com. ſignat, 7. *Mytholog*. cap.16. Vigilanter quidem. Fortuna inebriat , ut ſopitus favore, papavere, dormiat , & ad virtutem in utramque aurem ſtertat; quouſque fulmine deſuper excitatus, cognoſcat felicitatis non blandimina , ſed ictus. Dormierunt ſomnum ſuum ebrij opibus proſperitatis ; & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus ſuis.

Lucan. *Vitijs felix, ſummè miſer.*
Imago Fortunæ.

6 Alludit ſpecies huius imaginis in colorem magnæ illius meretricis; de qua Ioannes: *Mulier habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione : & inebriati ſunt qui habitant terram de vino : & in fronte eius nomen ſcriptum , Myſterium*. Hoc eſt , *Secretum , Occultum*. Quodnam ſecretum ? Fortunæ bonæ. Felices ſcilicet, infeliciſsimos eſſe: equidem in quod venturi tormentum , illis occultum. Patet , quid iuvat eſſe nocentes, ubi ab ebrietate iaculo excitantur mortis : equidem cognoſcunt fortunam , ſecutam quaſi virtutem , totam abominationem. Papaveribus & vino ſine iudicio iacent , quin de futuris cogitent, dum felicitatem in ebrietate mulcent : igitur ni ebrij, nullo modo ſequerentur,quam alij uti ſeductricem , vafram abominabantur. Ludente fortunà, ſequebantur inſolentem , perperàm ad illam euntes per abominationem ; qua potiebantur votis , pervenientes per ſcelera ad culmen felicitatis; quin à tergo cogitarent Nemeſim , flagitiorum vindicem , quæ providè , etſi ſpectet, expectat, an pravus à crimine reſipiſcat, ut proijciat è manu flagellum ; & eo tempore quo fortuna molitur embolium, ut ſine mente ebrios inſidiatrix inveniat , atque præcipites in Tartara mittat. Hoc eſt myſterium : in morteque revelatur occultum, felicitate infelici , vindice Nemeſi ; quippe ab illa magis ex fortuna fautus , ut pœnas luat mancipatur ignibus.

Apocal. 17. à 2.
Vitiorum felicitas deſinit in pœnas.

In flammas , quò triſtis Eriynnis,
Quò fremitus vocat , & ſublatus ad æthera clamor.
Virgil.2 Æneid. v.136.

Apud illos etiam) út ſæpe dixi ex Chartario , de *Imagin. Deor*. pag. 304.) dicta in præſens propoſitum *Fortuna mala & Bona* : *Alba & Nigra. Bona candido vultu, mala atro prædita*. Neſciunt improbi , bonam , malam eſſe fortunam; quouſque eius reveletur myſterium, & commutet arte Nemeſis vultum , dum traducunt illos ex adverſo iniquitates ipſorum.

Fortuna nigra & alba.
Chartar

7 Haut latuit Ethnicos etſi involucris fabularum huiuſmodi flagitiorum myſterium, & quandiù occultum,& quando cunctorum oculis pervium. Librum Iupiter ex pelle capræ nutricis in ſiniſtro brachio habebat , quem cæca Gentilitas *Diphtheram* appellabat. *In ea* (infit Chartarius , d. fol. 110. *omnia hominum facta perſcribere credebatur, ne ſcilicèt è memoria effluerent: ac multa quidem pro tempore diſsimulare ; verùm aliquando de improbis pœnas ſumere. Quare cum aliquem pravum , poſtquam diu in ſua improbitate vivere ſitus eſſet , ſerò tandem pœnas dare viderent ; dicebant : inſpexit , etſi ſerò , pellem Iupiter*. Mutavit fortuna faciem , & tandem tandem reſpexit in crimina Numen ; ut qui abuſi ſunt felici fortunà ad mala ; ſentiant cruciatu quàm mala fortuna. Hinc Iovis Ultoris imago, pede laneo, & pollens fulmine ; ut ait Plutarch. de *Tarda Dei vindicti*. Venit ſupplicium , ſed expellitur à cogitatione ; quia non ſentitur venire. Quia diſsimulata ſemel & iterùm crimina , arbitrantur pravi cuncta prætermittenda , habituraque felicem exitum , ſicut protervè anteactum : at cum nihil poſsit remanere inultum ; dum minus cogitant iniquitatum cruciamen, aſſultim ſentiunt ultoris Numinis fulmen. Liquet, uſquequò peccatores gloriabuntur. Venit eſtò laneo pede , ſine ſtrepitu vindicta ; ut videatur miſerè nigra , quæ fortuna in præcipitium alliciebat prava corda : & atteſtante dextræ validæ fulmine , quàm infelices felices ex ipſa felicitate : equidem cùm via iniquitatis uſquequaquè ſit lubrica; lapſi titubante pede,deſcenderunt uſque in Tartara. Numen, ut canit Dracontius,de *Oper. ſex dier*. v.470.

Qua Iovis diphthera?
Idem.
Inſolentia pravorū tandem tandem accedit ſupplicium
Imago Iovis Ultoris.
Fortuna ſeducens in Tartara.

——Domat , ſternitque potentes.
Deijcit elatos, & mergit ab arce ſuperbos:
Atque oppreſſores Deus opprimit , & pius ultor
Elevat elſos , & conſolatur adactos
Ictibus & damnis & vulnera ſæva dolentes.
Dracōt.

8 Pravinè dolebunt de vulneribus illatis , continua fractione legum ? Non eſt timor Dei ante oculos eorum. Relegavit primos morſus conſcientiæ favor fortunæ , & ſine ſenſu ruerunt in flagitia maiora ; quippe prima viderunt impunita : & per quæ debebant deprimi & opprimi , fauſtè experiebantur plaudi ; theſaurizantes ſibi iram ſubdolà felicitate, in diem vindictæ, de cœlo tacti, ſed fulmine· Tria iudicia ſignantur à Bernardo,de *Diverſ*. ſerm. 32.n. 1. *Proprium ſcilicet , humanum & divinum*. Proprium, per conſcientiam, quam inſenſibiles habent cauteriatam. Duritia pellis impenetrabile pectus , validos conſcientiæ repellit ictus. Humanum , ex æſtimatione pendet prudentum : at apud furentes proborum labat iudicium ; equidem per inolitam nequiciant , vitam illorum æſtimant inſaniam. Divinum pendet ab æterna lege , ingenità hominum connaturali ratione ; quoniam divini lumen vultus ſignatum eſt ſuper

Inebriat prius, ne ſentiant ictus.
Bernard
Tria in homine iudicia.

Felicitate infatuati; neq quàm redeunt frugi.

per nos: verùm dicunt: *Non eſt Deus.* Poſuerunt in cœlum os ſuum. Non tam vivunt ut Gentiles, ſed ut athæi. Reſpice, proh demens, proh pectus inane Deorum, ſaltem in interitum. Non eſt reſpectus morti eorum. Cruciamina inferni. Inferni? Nugæ, prorsùm aniles & pueriles fabulæ. Ita plures Ethnicorum. Sic deliravit ſtultà ſapientia Plato, 3. de *Republ.* mihi fol. 386. B. Demonax, apud Eraſm. 8. *Apophthegm.* n. 39. Seneca, *Epiſt.* 24. & 83. *Ad Martiam*, cap. 19. & 2. de Ira, *cap.* 35. Diodor. Sicul. *lib.* 1. *cap.* 1. ubi fanaticè inquit: *Si enim fabula de inferis, argumento ficto conſtans, multum ad pietatem & iuſtitiam hominibus confert*, &c. & alij gregatim apud Clementem Alexandr. 5. *Stromat.* à cap. 7. Delr. d. & in *Troad.* Senec. à v. 370. Noſque, *Tom.* 4. *T.* 6. *à n.* 32. Fatetur eſſe inferos etiam turba Gentilium. Propert. 4. *Eleg.* 7. v. 1. *Sunt aliquid Manes*: quò plura congerit Paſſerat. Uſquequaque aſtruit Lucianus, ut videtur in Dialogis. Mahumetes impius, ad quæ venturus, deſcribit; apud Gabriel. Sionit in *Reipubl. Arab.* cap. 7. & hic etiam Iann. Cotovicus, *cap.* 5. Non credunt illeges lactati obſequijs proſperitatis, quia nequitià deſcendunt in infernum viventes: quandoquidem ita inſiſtunt in malo; ut eorum propoſita dumtaxàt poſsint exire ab inferno. Hermann. Hugo, *Voto*, 4. in *Suſpir. Anim.* accinit:

Illis gehenna fabula. — Diodor. Sicul. — *Nec Dei timore, nec formidine inferni.*

Heu! Premit humanas furos hic caligine mentes
Fulgetras metuunt, fulmina nulla pavent.
Subijcitur pedibus nigri metus omnis Averni,
Creduntur Stigij fabula ficta foci.

Herm. Hug.

9 Eſtnè inſipientia, vel effrons audacia? Et audacia & impudentia; quia vel Deum, ſicut illatenùs, cogitant (ſi Deum cogitant) miſericordem, & nequaquàm vindicem; vel ab eorum abſconditur oculis, quàm horribile, incidere in manus Dei viventis. Diem Domini amaram, vomentem pectoris iram, ut reſipiſcerent à peccatis, propoſuit ſæpe ſacer Vates pravis Iſraëlitis; verùm illi ad minas quid? Tremit de iudicio cor? Nullo modo. Nulla micat de exactione formido. Riſu, ludicrè accipitur, & prædicens irridetur. Ipſi dicunt, vel dum umbra iudicij innocentes gravat: *Ubi eſt verbum Domini? Veniat.* Dies Domini magna & amara valdè: & ita peccata obcæcant, quod nihil timeant, arbitrantes uti dulce iniquitati lenimen, acerbiorem vindicem amaritudinem; quo patet, quàm obſtinati in peccato, etiam Numinis inſtante iudicio, quò uſquequàque procedebant flagitia, & gliſcebat audacia: equidem hominem iudicem non timebit, qui Deum non timet. *Veniat.* Deſipiunt, furenter debacchantur cogitationibus ſine intellectu: etenìm præſumunt fieri poſſe in Dei iudicio, quot potentià aſtuque perficiebant in ſæculo, ex arte circumventionis: nimirùm fallere, atque corrumpere iudices. Iuſtitia in Dei tribunali virgo eſt: corrumpi non valet, neque iudex falli poteſt. Mens delirat, ſi in voto, quòd verbum Domini veniat: equidem ſi leve cogitant (qua de cauſa non formidant) ut mala uti mala non iudicentur; invenient triſulcum fulmen, quo in tartara detrudantur. *Veniat.* Temeraria fiducia & ex peccato; quaſi iuſtificari poſſet homo compoſitus Deo, & pro iuſtificatione reſpondere unum pro mille. David cum ſervus eſſet; Numen rogat, ut in iudicium cum illo non intret: & ubi iudicium appropinquat, pravi ſine timore, dicunt quod veniat? *An quia* (uti ait Iuſtinus, *Hiſtor.* lib. 2.) *nil difficile perſuadere perſuaſis mori*? An quia veniæ deſperatio deduxit in extremum, & proiecerunt poſt ſitulam lorum? An quia venerunt in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & quomodò erraverunt inſenſati? Profectò longè. Per flagitia in ſæculo dignati muneribus, atque cumulati honoribus. Idem iudicium faciunt de Dei iudicio, quod inter homines fovit criminum cogitationem; quaſi Deus non oderit omnes operantes iniquitatem: & ubi minarum plenum iudicium Domini appropiat, optant illeges, quòd veniat; igitur arbitrantur infatuati fortunà, in Numinis tribunali honorandos per ſcelera. Vidimus, *n.* 5. & *Tautolog.* 12. *D.* 3. *n.* 10. videbimus; quomodò

Ierem. 17. 15. Abdicãt iudicium Dei. — *Quò eorum deveniat audacia, & temeraria fiducia?* — Iuſtin. — *Quodnā iudicium illorum de Dei iudicio?*

Iuvat eſſe nocentes.

Lucan. 4. v. 253.

10 Non videatur voluntaria ſine fulcro cogitatio. Signatur a Propheta Evangelico, dicente: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis: qui dicitis, Feſtinet & citò veniat opus eius.* Amiſerunt præ nequitia mentem Deum iudicem provocant in certamen: optantque venire in iudicium opus; ut iniquitas perſpicua muneretur uti virtus: illis utique conſuetudo per noxam, ubique & fauſtè obtinere fortunam. *Trahunt iniquitatem in funiculis vanitatis*; de quo *Tautolog. ſeq. D.* 6. *n.* 8. Vanitas orditur, dum iniquitas texitur: funiculiſque propriè nimis comparatur; quoniam ſi ad formandum funiculum filis imponuntur filà, non ſecus conſtruitur iniquitatis formula: quandoquidem ut adi-

Iſai. 5, à 18. — *Ab illis ſcelus reputatur virtus.*

pif-

piſcantur vanitate propoſita infelicis felicitatis; flocci, flagitia pendunt addere flagitijs, per gloriam & plauſum criminum, apponentes iniquitatem ſuper iniquitatem eorum. Clariùs delicat. Amos. *Væ* (ait) *deſiderantibus diem Domini. Ad quid eam vobis? Dies Domini iſta tenebræ & non lux.* Quis poteſt, maximè ex pravorum numero, diem Domini deſiderare; ſi dies ille totus horror, non lux ſed tenebræ? Qui fuerint in mundo pravi. Teſtimonium dupliciter accipi poteſt. Primò ironicè, quaſi minæ fulminatæ à Prophetis nullius profectò eſſent ponderis, ſed omninò riſibiles: vel ſi alicuius ex criminibus momenti; minimè tanti: etenim Numini ingenita pietas; & continebit in ira ſua miſericordias ſuas. Vernaculè: *No es tan bravo el leon, como le pintan*: à praviſque haud formidatur dies extremæ calamitatis, fiducià vana divini cordis, afflictorum miſerentis; quo infeliciter pereunt, ubi cogitatà pietate, non reſipiſcunt: quandoquidem intenſiùs incumbunt crimini; ducti, ſeu potiùs ſeducti fiducià miſericordiæ.

Amos 5. 18. Cur huiuſmodi ludibriū cogitationi, dicitur funiculi vanitatis? — *Herent diutiùs crimini, fiſi iā miſericordiæ?*

11 Aliter, formidabilem deſiderare diem, accipi quit propter iræ divinæ provocationem. Deus ſuſtinet, ac ſupplicia ſuſpendit propter reſipiſcentiam pravitatis; quia non iraſcitur per ſingulos dies. Expectat averſionem criminum pius; ſed illi procedunt nequiter in deterius, quo provocant divinam pietatem, ut irritata procedat in cruciamina & ultionem: *Væque* dicit vox Prophetæ, *deſiderantibus diem Domini*; quia (iteratis peccatis, criminum cumulis) clementiam provocant, ut exerceat in hoc ſæculo; quod faciet ira in extremo iudicio. In Didaſcaliæ propoſitum. Iudicium Domini cogitant uti iudicium humanum, parcialem iudicem, perſonarum acceptionem, in quo felicem nacturi exitum, vel ipſo pondere criminum (quo reſpectu inolitæ felicitatis, etiam peccatorum gravamina aut nullius, aut leviſsimi ponderis) quin iudicium formident, quod cuncti pavent: *Væque* ſignatur uti miſeris, hac cogitatione cæcis; quippe arbitrantur peccata tribunali illo impunita, ſicut in vita perpetrarunt peccata. Tenebræ illa dies eſt, nequaquàm lux. *Ad quid eam vobis?* Per lucem ſignificatur felicitas, per tenebras extrema calamitas: & illis *Væ*, quippe tenebræ & non lux: calamitas & non felicitas: quandoquidem expectantes avidè felicitatem, in manu iudicis invenient, quod non formidarunt, indeclinabile fulmen. Si iuſtus timet, qui peccator & impius ubi parebit? Inter prodigia refertur à Plinio *lib.* 2. *cap.* 56. *Lacte & ſanguine pluiſſe.* Pluviæ huiuſmodi prognoſticon, animi in peccatis obſtinati, indicat exitum: igitur audaciam compeſcet ſanguis, dum nil profuit lac amoris. *Semper enim ſcelera, dum non reſecantur, increſcunt: & in augmentum facinorum proſilitur* (inquit Chryſoſtom. Tom. 1. Homil. de *Abſalom.*) *quoties ſecura impunitate peccatur.* Ubi non prodeſt elleborum furentis cerebro, neceſſaria profectò ſanguinis miſsio. Ad extremum inſania venit.

Deum rident, ſed Deus non irridetur. — *Pluvia lactis & ſanguinis.* — Plin. — *Perficit nitia ad quod non valuit affectio.* — Chryſoſ.

Miſericordiam iam habere hominum, non oportet.

Plaut in *Moſtell.* 3. 2. v. 115.

12 Sic & è cœlo, dum ſanguine pluit? Evannit dulcedo lactis: cœlum fecimus nocens. Idem ibid. refert: *Pluit item ferro in Lucanis. Effigies quæ pluerat, ſpongiarum fere ſimilis fuit. Aruſpices cavanda præmonuerunt vulnera cœli.* Cœlum nulla ſagitta ferit. Unde ergo vulnera habet? Efformat hominum pravitas, qui vel in cœlum audent mittere ſagittas: quæ quidem dum illuduſque pervenire non poſſunt, in iaculantes infeliciter recidunt. Spongiarum adinſtar erat ferri mira pluvia. Si in ſpongia ſuavitas, & in ferro ſeveritas; objicitur hominum quanta maliguitas: igitur ita cœlum criminibus irritatum, ut in illos cogeretur pro gratijs mittere ferrum. Nihil in illo videbant homines, niſi adinſtar ſpongiarum abundantiam ſuavitatis; quæ ſanè ab illegibus deſpecta, provocatà benefactoris vindicta: equidem ita vitiorum crevit acerbitas; ut compelleretur cœlum in illos mittere lanceas. Semper cavenda vulnera; ſed quæ à cœlo plus cavenda. Diſsimulatio erat in cœlo, ut corda in converſionem vellicaret pœnitudo. Iaculantes innatà clementià inveniebant propitium, quamvis habebant offenſum; ſed non decidebant à cogitationibus ſuis, fauti & denuò vulnerantes: & ubi ferri, ſpongiæ ſimilis, pluviæ, cavenda vulnera cœli; quoniam quæ à clementia miſſa, ſemper diriſsima tela. Vulnera utique è cœlo peccator cavere debet, quippequam in iacentem iacula torquet.

Plin. — *Pluvia ferri.* — *Plectit fulmen clementiæ abuſum divina gratia.*

13 *Deus vindicans vindicabit*: dicit noſtra Tautologia. Malum ab illo ſtudio correctionis prætermittitur; cæterùm ſine pœnitentia recordatur, de quo impœnitens criminoſus obliviſcitur: & quod pro tempore indulſit, vindicans acerrimè vindicabit; quia flagitia prætermiſit propter cordium pœnitudinem, haud propter impunitatem. *Peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret*: ait per Antro-

Ecli 5. 3 — *Deus connivet ad iniquitatem, propter pœnitudinem.* — Iſai. 59. 2. — *Antropopathor.*

tro-

tropopathos, de Numine Evangelicus Vates. Eius facies ſignatur abſcondita, dum ſunt peccata; occulis eius cuncta nuda: & ad illorum conſpectum faciem abſcondit, ne puniat, modò videret. Fugit ut in ſummè pius ſumere vindex ſupplicium. Mundi ſunt oculi eius; ne videat malum. At pende. *Peccata abſconderunt faciem eius, ne exaudiret.* Cur ne exaudiret, faciem abſcondit? Peccata clamant: & ut in homines demonſtret cordis pietatem; nec videt, nec placet audire vocem. Sursùm poſuit fulmina, ne abſumerent peccatores, ambulantes in terra: at illi criminum ſagittis inſtant ut quam citò fulmine de cœlo pereant. *Peccata tela quædam ſunt, quæ intentat peccator* (ait Doctiſſ. Sanctius in *Iſai.* 43. *n.* 37.) *& vibrat contra Deum.*

Sanct. *Peccata in cœlũ ſunt tela*

Ridiculum nonnumquam & temerarium, ſpuere in cœlum: quid, furſùm mittere ac in Numen iacula? Furor planè & deſipientia: igitur eodem telo deſcendente transfigitur, quo Deum offendens, verſus cœlum iaculatur. Dicit Regius Pſaltes. Pravi delinquunt deficientes à lege; neſcientes quo vulnerant, vulnerari. Verè tunc gladius in manu furioſi; quia vulnerantur, ſine aliorum vulnere. Iniuriam arbitrantur legum normam: & ut vindicent furore vindictam, & percutiant æthera; parant criminibus & criminibus ſagittas ſuas in pharetras. Quid ex molimine, dum à Deo cœlum affectivè videtur ſagittarum ſcopus? Quid? *Miſit ſagittas ſuas & diſsipavit eos.* Suas miſit ſagittas. Cuias? Cœli? Nullatenùs, quippe diceret *Eius.*

Pſ. 17. 15.

Miſit in illos, ſeu potius remiſit cœlum, ut ſautiarentur, ſagittas eorum. Cœlum in quo ſedet pietas, non habet ſagittas: & ut diſsipentur, in peccatores mittit ſagittas ſuas; quoniam ipſiſmet ſagittis, quas in cœlum miſerunt, retortis à cœlo miſerrimè confodiuntur.

In peccatores retorta.

Obruit adverſas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, & turbine repulit haſtas.

Claud. 3 *Conſul. Honor.* v. 94.

14 Expreſsè Ieremias tradit modum divinæ vindictæ, ut pœnas luerent inſolentes è fortuna Babylonij. *Apprehenſi ſunt* (inſit) *fortes eius, & emarcuit arcus eorum; quia fortis ulto. Dominus reddens retribuet.* Videſis Litteræ expoſitionem, *n.* 13. 17. 21. & 36. Modus ſingularis in ultione claret. *Reddens retribuet.* Quorsùm *retribuet,* ſi *reddens*? Quidni dicitur *tribuit*, ſed *retribuet*, dum vindictam de peccatoribus ſumit? Quia ipſe in homines non habet tela, niſi quæ miniſtrant eorum malitiæ peccata. Intenderunt arcum ſuum, paraverunt ſagittas miſtas dolorum felle, vulnerum amaritudine; ut ſagittarent ſine reſpectu legum rectos corde: extenderunt verſus cœlum, ſed ſtatim emarcuit arcus eorum; dum apprehenſi & vulnerati ex ipſa emiſsione ſagittarum: quò magis validi, intimius percuſsi: equidem multiplicatæ ſunt infirmitates eorum; per ſagittas, quas contra cœlum miſerunt.

Ierem. 51. 56.

Præbent Deo ad cruciamina ſtramenta.

Quaſi impunita ſemper floreret audacia, in ſceleribus ſuperbè vibrabant tela. Intenſus eſt arcus, verum fortis ultor Dominus; qui in pœnas criminis, ultionem adducit retributionis. Si per ſe offenſus ulciſceretur, pœnas propter crimina vindicando tribueret: ſed in audaces ſagittarios ſpicula non reddit, imò retribuit; quoniam in illos miſſas ſagittas è cœlo retorquet. Sederet in cœlo, ni in ultionem provocarent, ac in vindictam moverent. Multiplicant iacula adverſus Deum, flagitiorum cumulis; ſed ille retribuens eſt ultor & ultor fortis, revolvens è cœlo ſagittas, ut luant ex meritis pœnas: retribuitque dum crimina plectit, quæ iacula malignitas in cœlum audacter miſit; quia non alia habet in huius pugna certaminis, niſi quæ dederunt in vindictam peccatores.

Apoc. 6. 2.

15 Inuit Ioannes, diſcribens pietatem iudicis, & quomodò compellitur à reis in ictus ultionis. *Qui ſedebat* (ait) *habebat arcum.* Ubi telum? Elucet iudicis miſericordia, dum continetur arcus ſine ſagitta. Verum unde tanta iudicis abſque ulla ſævitia ſtrages; quæ è cœlo videtur in tranſgreſſores legis? Profectò ab ipſis. Ni ipſorum miſiſſet & cumulatim improbitas; arcus non habet ſagittas. Arcum habet, an iuſtitia enixim poſtulet: habet arcum, ſed non telum, pectus hominibus oſtendens nonnumquam pium: etenim potens & validè ſumere arma; arcum habet, cæterum ſine ſagitta. Arcum tenet, qui vel in throno manſuetus, ut peccatores fugiant à facie arcus; ideſt ut reſipiſcant, & tela ad arcum non præbeant: igitur ni peccator miniſtret, telum arcus in vulnera planè non habet.

Suis armis vulnerantur.

Unde ſi ſagittę potentis (acutæ præ flagitionum ultione) prævaricantes uſque in corda penetrarunt; ipſi ad arcum iudici ultori dederunt: qui tantà audacià bile commotà, crimina exoſus, cunctas ſagittas ex arcu torſit in illos. Ex inſania Thacum conſtat ſagittatorum ſupplicium. *Dum tonat, aut fulgurat* (uti diximus ex Herodoto, *Tom.* 7. *T.* 10. *D.* 4. *n.* 11.) *in cœlos ſagittas excutiunt, Deo minitantes.*

Herod.

Inſigne delirium! Neceſſe percuti, ubi in cœlum excutiebantur ſagittæ: quotquot vibrabant; haud cogitabant, quòd ſuper ſe caderant pluraque vulnera, quò multiplicata tela: equidem implebant arcum, & contorquebat in auctores cœlum. Ipſi pericula ambiebant, vulnera ſolicitabant; quandoquidem ni ſauciari vellent, dum ſagittæ mittebantur; ab arcu vacuò minimè vulnerarentur.

16 Accidit irruente tumpeſtate, cœloque procelloſè furente, quòd miles audax gravidam per nigredinem cogitans nubem, ut fragore diſsipare valeret, globum impulſum pulvere tormentario in illam diſplodere. Poticus eſt voto, ſed extremo ſui damno; equidem rupta nubes fulmen peperit, quòd penitùs fulminantem abſumpſit, exprimentem temerariam cogitationem; ubi redactus in cinerem. Elucet, quare venientem Salvatorem in iudicium mundi, *videbunt in nube cum poteſtate magna & maieſtate.*

Luc. 21

Appoſitè, ut iuſtitia vindicis explicetur, in nube thronus mirificè collocatur. Ibi fulmen hominum conſtruxere peccata; quò ne noceret, in abdita nubis abſcondit miſericordia. Ortà procellà in terrorem atque ſupplicium nocentium, præ confuſione ſonitus maris & fluctum; minimè latebunt in abſcondito tempeſtatis, ſigna dantibus & Sole & Luna & ſtellis: tuncque videbunt cum poteſtate magna & maieſtate, filium hominis in nube; abſumentem peccatores æternis fulminis flammis: etenim quod latebat (quin vibraret flammam, ut agerent pœnitentiam) emiſit ignem voracem; quia nubem ruperunt, unde exivit fulmen.

Deus abſcondit fulmen in ſupplicium & ipſi in damnũ aperiunt oſtium.

Verſ. 22

Quia dies ultionis hi ſunt, videbunt filium hominis ſic. Fulmina pridem in nube vinxerant eius pietatis catenæ. In nube iam vindex, quoniam dies venit ultionis: & unde uti è throno clementiæ, olim deſcendebat gratia, procedebant fulgura & voces & tonitrua in peccatorum ſupplicium; quia ipſi fulmini latenti protervè aperuerunt oſtium.

Mãtuan

Nec mora, flagranti correptũ fulmine velũ.

17 Quæ priùs iniuriarium non devoravit, antequàm in articulum iudicis deveniret? Hinc iuxta Auguſtin. de *Symbol. ad Catechum.* lib. 2. cap. 8. ut inimicis, in eorum confuſionem. oſtendatur quanta Salvatoris patientia & miſericordia; allaturus paſsionis ſtigmata. Ut Patrem iratum placaret, cœlo etiam intulit inſignia vulnerum, veſtigia cicarticum; uti placet Ambroſio in *Luc.* lib. 10. Modò qui advocatus, in nube cum poteſtate venit; ut mundum iudicet, & iniurias vindicet. Fecit pro hominibus quicquid potuit. Quid ultrà debuit facere in protectionem?

Doles Numini peccatores plectere.

Fulmina coërcuit, quouſque audacter pèrfidi ruperunt nubem; fulmineque egreſſo, ambuſti (ut arderent) mancipati Tartaro. Intelligitur modò ab illo dictum: *Servire me feciſti in peccatis tuis: præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Chriſti labor, unde nocentis debebat eſſe dolor: igitur ſi criminum peccatori doleret; Chriſtus præ pœnitentia in laborem non ſerviret: modòque illi dolet venire iudicem, quoniam hominem plectere amanti cordi moleſtiſsimum gravamen. Plura in huiuſmodi cogitamen dicimus, *Tom.* 2. *T.* 1. *D.* 4. *à n.* 2. Modò in præſentem articulum.

Iſai. 43. 24.

Peccata hominum ita vèxarunt, ut illum adducerent & in ſervitutem, & ſucceſsivum catenatum laborem. Labor illi ex modeſtia ſervitutis, ortus propter hominum ſcelera & cordium iniquitates? Utique, & ingens. Fulmen iuſtitiæ, quod malitia quotidiè & uſquequaquè poſcebat, amor eius in nubem, ne illos exterminaret, incluſerat. Nonnumquàm geminatis criminibus mittebat in cœlum tormenta bellica; ut diſrupta fragore nube, exiret fulminum flammas; & quaſi ſervus profert in peccatis eorum habuiſſe laborem; quia criminum compeſcebat audaciam, ne poſſet egredi fulmen.

Unde Chriſto amanti, per peccata negotiũ dire faceſſunt?

Sic eius pugnavit amor, ſed hominum in ſui cladem contendit furor: illeque ceſſavit à labore, crepante nube, quoniam exiliens fulminum flamma ex impulſus ſucceſsivo iniquitatum, illos detruſit & impetè, ut arderent, in infernum.

—Caveamus fulminis ictum.
Cur tonat ex illa parte? Ut vitare queamus,
Ne fierent ictus uno ſub tempore plures.

Lucret. 6. à v. 304.

18 Alto ergo intuitn ſpecimen divini iudicij obijcitur, ut improbitas pravitatis ſaltem formidine compeſcatur: & dum mala urgent, per penitentiam,

—— Labem terſiſſe laborent.

Uti ſuccinit Claudian. 2. de *Laud. Stilic.* verſ. 308. & Senec. 2. de *Ira*, cap. 14. *Aliquando incutiendus eſt his metus, apud quos ratio non proficit.*

Claud. Senec.

Areſcent homines *præ timore & expectatione*, quæ ſuperveniet univenſo orbi. Præ timore conſcientiæ: expectatione ſententiæ in exitum cauſæ; ut illa in iudicium perlata mulier adultera, *in medio ſtans*: cuius quidem iurè trepidabat cor, & teſte mordicantis conſcientiæ, & ſententiæ expectatione.

Luc. 21. 26. Ioan. 8.

Multa timet quæ protervè multa fecit. Multa à ſe patitur, quippequàm & à ſe male torquetur. Quid non timendum, ubi vel levis incuriæ manet veſtigium? Suſtituit animo, quod refertur à Laurent. Surio in *Tabula Calvar.* nimirùm, impreſſa manſiſſe in lapidibus corpora diſci-

Terribile Dei iudicium.

ſcipulorum, orante Chriſto dormientium. Vel dormitaſſe notatur? Vividè, vernaculè: *Cor un leve deſcuydo tanta impreſſion?* In divino tribunali diſcutitur etiam leve. Si hoc eſt in viridi, in arido quid fiet? Orbis totus tremit. Cognoverunt vel Ethnici, ut diximus *Tom.6. T.10.à n.32.* Unde Petron. *Carm.* 19. à v.198.

Vel leve diſcuitur

—Tumidà confractum grandine cœlum,
Ipſe iam nubes ruptæ ſuper arma cadebant,
Et concreta gelu Ponti velut unda ruebat.
Victa erat ingenti tellus igne, victaque cœli
Sidera, victa ſuis hærentia flamina ripis.

Petron.

Alia ſignabimus hìc, *Tautolog.* 12. *à n.* 34. Ad unguem Claudian. in *Gigantomach.* à verſ. 60.

Cognoverũt vel Ethnici.

Iam tuba nimborũ ſonuit, iam ſigna ruendi
Bis æther, bis terra dedit, confuſaque rurſus
Pro Domino natura timet.

Claud.

19 Totus in orbe pavor, & in corde peccatóris nec ullus dolor? Cadunt voce tubæ mœnia firmiſsima Iericho, & pectus nocentium ſine formidine ſtat?

Ut ſacra circunferet buccina cantum,
Mœna non aſio robore fracta labant.

Benavid.

Modulatur Benavid. *Hor. Succiſivar*, lib.2. *Epigram.* 76. Corrum ſtabilia, & non flectuntur peccatorum corda? Quod de Phyſetere præmiſimus, *Tom.6.T.1. D.1.n.6.* refert Burtius in *Alexandr. Hiſtor.* lib. 10. cap. 1. de belluis Oceani, navigantes perſequentibus. *Plenum eſſe belluarum mare* (ait) *æſtu ſecundo eas ferri, magnarum corpora æquantes, truci tubæ cantu deterritas ſequi claſſem.* Vide hic Ioann. Freinshem.

Q. Curt.

Venturum iudicem ſupremum in noviſsima tuba, dicit Scriptura ſacra. Navigant iuſti vitæ pelagus procelloſum, totumque pravorum ſtudium tendit in ſuffocationem innocentium. Audiunt à conſcientia tubæ futuræ clangorem, cæterùm obturant aurem, ſceleraque flagitioſiſsimè augent, quaſi non audirent. Belluæ fugiunt, & pravi non reſipiſcunt? Pater amiſiſſe ſenſum furore criminum: igitur tremit orbis ad leve iudicij ſignum; & qui concuti debent, nec pavent ad tubæ ſonitum. Longè Dux proceſſerat, dicit idem ibid. libertaſque effrenis in facinora enormiſsima inciderat. At qui ex hoc? *Nec ullam potentiam ſcelere quæſitam, cuiquam eſſe diaturnam* (infit) *numquàm enim talia auſuros, qui Regem ſoſpitem aut optaſſent reverti, aut credidiſſent reverſurum.* Pravi potentiam, Chriſto peregræ profectò, cupiunt eſſe diuturnam, etſi ſceleribus partam; ſed carent voto, & dum reddenda ratio, fruſtrantur iudicio. Non optant venire ſoſpitem, nec credunt reverſurum iudicem. Pravitas nollet, & nihilominùs fiet. *Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum; ſic veniet, quemadmodùm vidiſtis eum euntem in cœlum.* Audient tubam, & tunc fugere ſupplicium non poterunt; quoniam ſcientes iri auditam, ſcelera non fugerunt: imò uti belluæ ex indulgentia, connivente iuſtitià, acuentes in truculentiam audaciam; ut naufragari poſſet, irruebant in innocentiam. Nulla ſubſiſtit potentia flagitijs nacta: igitur adveniente iudicio, iudiceque deſcendente de cœlo; quem aſcendiſſe crediderunt, ad veniam ſummè clementem, deſcendere videbunt acrem in crimina vindicem. Signat Terlull. de *Iudic. Domin.* à v. 10. cap.9.

Belluæ Oceani quo fugantur?

Pravi non pavent.

Idem.

Act. 1, 11.

Quem cogitabant clementẽ videbunt vindicẽ

O miſeri! quoties maieſtas cognita vobis,
Audiſtis ſonitus, vidiſtis fulgura cœli?
Vos miſeri Dominum cœli terræque negaſtis,
Et iuſtos potiùs crudeli cæde tuliſtis,
Et fraus in vobis poſt crimen ſemper inhæſit.
Sublatà venià fundum iaciuntur in imum.

Tertull.

20 Singularis quotannis erat apud Platæënſes parentatio, eorum qui victores cæde Perſarum, occubuerant in prælio. Innui, *Tom.5. T.10.n.1.* refertque Plutarch. in *Ariſtide*, ſubdens: *Prætor qui cætero tempore, neque ferrum tangere, niſi albam veſtem induere licet; punicea amictus tunicà, per mediam urbem tenens gladium, ad ſepulchra proficiſcitur: bonoſque viros pro Græcia à tyrannis mortuos, ad cœnam & ſanguinem fuſum vocat.* Non ſecùs in die iudicij univerſalis videbitur, dum à Iuſtitia innocentia vindicabitur. Quapropter apud Pſaltem Regium: *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Requirens ſanguinem eorum, recordatus eſt. Impij quia in iudice ſemper ſplendebat veſtis candida miſericordiæ; arbitrabantur puniceam deeſſe iuſtitiæ, neque fulminatum ire gladium, quoniam adverſus eos nec tetigit ferrum. Excæcavit eos malitia eorum: equidem de cœleſtibus deſcendens in iudicium feſtivè vocat oppreſſos ad cœnam, atque opprimentes tyrannos tandem detrudit in flammam. Iuſtitia denuò ſeveriſsimè plectit, quod amor in correctionem indulſit: clauſaque eſt veniæ atque pietàtis porta; quia abuſi ſunt diſsimulationis gratià: qua dignati lacrymari debebant pœnitentes; ſed fiducià futili veniæ prolapſi ſunt in ampliores errores. Ut obligarentur, gratijs pietatis donantur: at uti ingrati, ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: ceciderunt in flammam; quoniam renuerunt in tempore accipere diſciplinam. *Ideo nobis* (inquit in *S. Regul. Prolog.* Glorioſus Monachorum Dux & Doctor) *propter emendationem malorum huius vitæ dies ad inducis relaxantur.* Patet, quàm irrationale cogitamen, tempus conceſſum in criminum pœnitudinem, expendere & commutare in morum relaxationem. Ex primo ad ventu Chriſti etiam nonnulli Rabbinorum autumarunt, in cœlis apertum oſtium; ſed in ſecundo claudendum. Agemus fusè ex Kircherio, hìc *Tautolog.* 7. *D.3.num.9.* Ipſe aperuit, & ipſe claudit. Quare clauſit, quùm hominibus aperuit? Quia dedit coram pravis *oſtium apertum*; & nullus eorum voluit intrare per oſtium. Diſsimulatione affatim ad gratiam invitabat. Propter correctionem haudquaquàm corripiebat: & lapſi imò relapſi in crimina maiora; quippe videbant priora, quaſi non facta, impunita. Gratià abuſi, per apertum oſtium minimè ingreſsi, imò in barathrum repulſi, quin gemitus valerent, nec introire etiam lacrymando poſſent; quoniam clauſa eſt ianua in ſecundo eius adventu, quam nimio amore ipſe aperuerat in primo.

Plutarc.

Parentatio Platæenſium.

Pſalm. 11. 6.

Iuſtitia plectit, quod amor indulſit

S. Bened

Ap. 3. 8.

Pondus nequitiæ ex abuſione gratię

21 Minimè per arcus ſignificationem carpunt fugam; quippe experti illuduſque non habere ſagittam, cùm ipſi cumulatim apponant. Nihil formidant. Suſque deque faciunt iudicium Dei: & plagis criminum gravatum cor? & operti iniquitate & impietate ſua? In vanum ab illis accepta prorsùm anima. Furore correpta non timet. Quis ita iudicium Dei non timebit? Deliquit Adam, & illicò ex dolo perculſum tremore cor. Venit Dominus, ut frugi redderet; ſed ille latuit. Illum de ſe interrogat, & Adami voce vocat. *Abſcondit ſe Adam*: latentique dicit iudex: *Ubi es?* Aliquid deterius adderet crimini, non reſpondere voci: propterea ait: *Vocem tuam audivi in paradiſo* (proximus eſt gratiæ ac peccati veniæ, propter donum pœnitudinis; qui (Dei vocantis, vel in peccato, ſcit diſtinguere voces) *& timui, eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me. Timui*, ſanè, ex morſu vellicante conſcientiæ: pravique venundati totà vità ſub peccato non timent iudicem, dum Adam pavet ad vocem? Vocem audivit, timuit & ſe abſcondit. Iudicium Domini grave, dum crimina fovet pectus: etſi montes cadant, & colles operiant, non habent pondus. Deciderat à Numinis gratia, erat in eius inimicitia: & pavet & timet & ſe abſcondit: cui non uſque in tremorem incutiet metum, ſine gratia vocari & à Domino in iudicium? *Timui, eò quòd nudus eſſem.* Ornaverat animam eius Conditor Dominus gratià iuſtificante, magniſque virtutibus. Timeamus, ſi nudi ſumus. Cuius non pudore confuſa frons; ſi nudus gratià ac virtutibus ſiſtitur & ante tribunal Dei? Qualis vultus, ubi criminatur pectus? Qualis exitus perturbatæ confuſione rationis, ſi nullæ apparent in protectionem virtutes?

Gen. 3. 8.

Unde vera pœnitentia?

V. 10.

Tremor eſt cordi, ſine gratia ad Dei iuditium vocari.

O tibi quantus erit facti rubor! Ah tibi quantus
Tunc dolor! Perfidiæ nec metus iſte tuæ?

Ovid. Epiſt. 13. v. 89.

22 Tunc regeretur Zachariæ viſio. *Vidi & ecce volumen volans.* Alij, uti alibi dixi: *Falcem volantem.* Non diſcors lectio pro pœnis hominum in Dei iudicio. Cuncta ò Domine notantur, & in libro tuo ſcribentur, translata in conſcientiam reorum; ut ipſis teſtibus inferatur ſupplicium. Unde Propheta reſpiciens conſcientiarum volumen, mutatà ſpecie vidit falcem volantem; quippe pravi ex his quæ in libro leguntur, proſcinduntur, percutiuntur, iugulantur. Elementa iniquitatis in tuas manarunt uſque ſecures. Pœnam mens tua diſtulerat, ſed modò aggravat: igitur ne graſſetur conniventia ſerpens truculenta peſtis;

Zach. 5. 1.

Iniquitates crucíamina peccatoris.

Plus ideo ſumenda tibi faſtigia iuris.

Claud. de v. 313.

Iam perſpicuò conſtat, quò devenit nocentium iniquitas: quid proficit tantum nefas: quid iuvat eſſe nocentes, atque frangere cuncta repagula iuris. Reſipiſce peccator, ut à corde obcæcato fugiat error: etenim ſi oculis tuis conſideraveris, retributionem peccatorum videbis. Tandem tandem iuſtitia valet & iniquitas ruit. Dies publicus declarabit, quicquid malignitas impunita compreſsit. *Multorum improbitate depreſſa emergit* (ait Cicer. pro *Cœlio*) *& innocentiæ defenſio intercluſa reſpirat contra hominum ingenia, calliditatem ſolertiamque, contraque fictas hominum inſidias.* In iudicio Dei tempus ſignatur, quo iuſtitiæ iudicentur: in illa ſtatera unicuique reddet Iuſtus ſecundum opera ſua. Sedet in ſolio, illam in manu tenens cum laurea & gladio. Ita pingit Villava, *Symbol.* 3. Reſpondet ſingulorum ſtudio: probos coronari in honores aſſumit, atque malos malè perdit; à quibus iudicium eius deſpicitur. Deus enim non irridetur. Alcim. Avit. de *Sentent. Dei*, à v.43. ita ſuccinit:

Tandem tandem iuſtitia prevalet atq̃ pravitas ruit.

Cicer.

Quæ inſignia in lancibus ſtateræ divini iudicij?

Cùmque repentinus concluſerit omnia fulgor
Cœlorum clangente tuba, qua nuncius ante
Iudicis adventum concuſſum terreat orbem:
At quos terribili iudex decreverit hora
Vivere poſt mortem, pœnâq̃ ardere perenni,
Subtrahet optato gravior ſententia letho,

Alcim. Avit.